



Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XXII. Explicantur aliæ nouem prærogatiuæ ex Actis Apostolorum, &
epistola ad Galatas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

rum pedes lauarētur: Iudam autem impudenter ante Petrum se constituisse. At nihilominus probabilior Augustini sententia esse videtur.

VNDECIMA est Ioan. 21. vbi Petro soli mortem Christus prædixit, & mortem crucis, vt sicut ei nomen suum donauerat, & officium suum imposuerat, ita & in morte socium illum haberet: *Cum fessueris, inquit Dominus, extendens manus tuas & alius cinget te, & ducet quod tu non sis.* Hoc autem dixit, addit Euangeliſta: *significans qua morte clarificaturus effet Deum.* Deinde ibidem subiungit Dominus loquens ad Petrum, *Sequere me.* quæ verba quidam accipiunt de officio pastorali; vt Theophylactus qui exponit, sequere me, qui educo te ad prædicandum, & totum orbem in manus tuas tradō. Alij accipiunt de similitudine mortis, vt Euthymius, qui exponit, sequere me, id est, crucem patiendo me imitare.

Sed plenus commentarius erit, si utramque sententiam coniungamus. Cūm enim Dominus oves Petro commendasset, & mortis genus prædixisset, quasi concludens omnia uno verbo ait: *Sequere me, id est, esto id quod fui & viuens & moriens, age pastorem animarum dum viuis, & postea per crucis mortem transi de hoc mundo ad Patrem.* Et ne suspicaremur hæc dici omnibus, disertè Dominus excludit Ioannem, qui tunc corporaliter sequebatur: *Sic eum, inquit, volo manere, quid ad te? tu sequere me.*

CAPVT XXII.

Explicantur aliæ nouem prærogatiuæ ex Actis Apostolorum, & epistola ad Ga- latas.

DODECIMA prærogatiua est Actor. i. vbi Petrus tanquam paterfamilias colligit in unum cœtum discipulorum, & unum eligendum esse docet in locum Iudæ. In quem locum CHRYSTOMVS: *Quām, inquit, agnoscit Petrus commissum sibi gregem? quām in hoc choro princeps est?* OECVMENIVS, *surgit, inquit, Petrus, non Iacobus, Et is cui præsidentia discipulorum commissa erat.* Neq; *ullus orationi Petri contradixit, sed mox ad eius*

eius praeceptum constituerunt duos, quos dignissimos eo grada existimabant, & tamen eorum Deus ipse designaret.

D E C I M A T E R T I A est Acto. 2. vbi post acceptum Spinetum sanctum Petrus omnium primus promulgat Euangelium, & prima illa concione tria millia hominum conuerit. Vbi Chrysostomus: *Petrus, inquit, omnium erat os, sed astant illi Undecim, testimonio suo comprobantes ea, quae ab illis dicebantur.*

D E C I M A Q U A R T A est Acto. 3. vbi primum miraculum in testimonium fidei a Petro fit. *Etsi enim Petrus, & Ioannes simul erant, tamen solus Petrus dixit claudio: Aurum & a gentium non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do, &c. Notat pulchre Ambrosius serm. 69. meritò Petrum primum miraculum edidisse in pedum confirmatione, ut ostenderet fundamentum esse totius Ecclesiae.*

D E C I M A Q V I N T A est Acto. 5. vbi Petrus tanquam sumus & diuinus Iudex agnouit & damnauit hypocrisim, fraudem Ananiae & Saphirae, & eos verbo suo occidit.

D E C I M A S E X T A est Act. 9. vbi sic legimus: *Factum cum Petrus transiret per omnes. In quem locum CHRYSTOMVS: Quemadmodum, inquit, dux in exercitu obamans, considerabat qua pars sit coadunata, qua ornata, qua aduentus egeat, vide & bique illum circumcurrare & primus inneniri.*

D E C I M A S E P T I M A est Acto. 10. vbi Petrus omnis primus incipit praedicare Gentilibus, sicut ipse omnium primus praedicauerat Iudeis. Et soli ipsi visio illa ostensa est, quoniam tempus esse praedicandi Gentilibus. vbi etiam pulchre dicitur ei: *Macta & manduca. Nam capit is est manducare, & per manductionem traicere cibum in stomachum & illum sibi incorporare. Significatur enim hac metaphor Petro conuenire, ut ipse tanquam caput Ecclesiae, infideles conuertat, & efficiat membra Ecclesiae.*

Sed obiicies: Nonne Act. 8. & Philippus conuerterat Ethnicum hominem, Eunuchum videlicet Reginae Aethiopum & nonne Paulus Acto. 9. loquebatur Gentilibus, & disputabat cum Gracis? quomodo ergo Petrus dicitur primus praedicasse Gentilibus.

RESPON

R E S P O N D E O, Eunuchum illum fuisse Proselytum, id est, iam conuersum ad Judaismum, non autem planè Gentilem, ut erat Cornelius. Nam Petrus non mentitur Acto. 15. cùm indicat se primū prædicasse Gentibus. **D E I N D E A C T . II.** scribit Lucas, eos qui dispersi fuerant à tribulatione quæ facta est sub Stephano, perambulasse varias regiones euangeli- zando, *nemini loquentes Verbum, nisi solis Iudeis.* vnum autem ex his fuisse Philippum, patet ex Acto. 8. **P R A E T E R E A,** si Philippus iam prædicauerat homini Gentili, & nemo eum reprehenderat, cur postea Petrus dubitat, an sit tempus prædicandi Gentilibus? cur cœlesti visione ad hoc animatur? cur hoc audito aliqui ex Iudæis obstupuerunt, alij Petrum accusauerunt ut rem insolitam ausum? **A D D E**, quod iste Eunuchus ibat in Hierusalem ad templum, & Isaiam in curru legebat, quæ sunt aperta signa Iudaismi.

Denique **H I E R O N Y M V S** in epist. ad Saluinam, de Cornelio loquens: *Primus, inquit, ab Apostolo baptizatus, salutem Gentium dedicauit:* Et **C H R Y S O S T O M V S** homil. 22. in Acta, de Cornelio loquens: *Vides, inquit, unde initium sit Gentium?* à *viro pio qui operibus dignus est habitus.* **Q u o d si aliquando Patres dicunt, Eunuchum illum, quem baptizauit Philippus, fuisse Gentilem, intelligunt natione, non religione.**

De Paulo autem secundum Græcos codices nulla est difficultas. Non enim est in Græco illud: *Loquebatur Gentibus, sed tantum est, loquebatur, & disputabat aduersus Græcos.* Græcos autem hīc vocat Iudæos in Græcia natos & Græcē loquentes, vt indicant Chrysostomus & OEcumenius. nec est verisimile Paulum prædicasse Gentilibus in ipsa Hierusalem, & nullum rumorem excitatum ab Hebræis, qui postea tam vehementer in Petrum insurgebant, quia prædicauerat Cornelio.

Quia tamē Latini codices habent, loquebatur Gentibus, & disputabat cum Græcis, dici potest eum loquutum esse ac disputasse cum Gentilibus, non eos ad fidem pertrahēdo, sed fidem ab eorum calumniis defendendo. Itaque ibidem Lucas subiungit, non aliquos esse conuersos, sed odium adeò graue in Paulum excitatum, ut quæsierint eum interficere. Primus ergo Pater tam Iudæorum, quam Gentilium, Petrus fuit.

D E C I M A

DECIMA OCTAVA est Acto*r. 12.* vbi pro Petro in carcere constituto oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia. Unde etiam insigni miraculo liberatus est. Scimus ante illud tempus Stephanum in periculo fuisse, & postea etiam lapidatum; item Iacobum in eodem carcere constitutum, & postea interficetum; nec tamen legimus ita sine intermissione ab Ecclesia pro illis oratum, ut nunc pro Petri periculo fieri videamus. Quæ potest alia ratio assignari, nisi quia multum interest, utrum membrum unum, an caput ipsum periclitetur? Iuque Chrysostomus in hunc locum: *Magni, inquit, a moris indicium, oratio, Patrem omnes quarebant, &c.*

DECIMA NONA est Acto*r. 15.* vbi Petrus in Concilio primus loquitur, & sententiam eius Iacobus, omnesque aliquantum, ut Hieronymus docet in epistola ad Augustinum, quæ est *ii.* inter epistolas Augustini, & Theodore*tus* epistola ad Leonem de eadem re, sic loquitur: *Paulus, inquit, præco Veritatis, tuba sanctissimi spiritus, ad magnum Petrus cucurrit, Et iis qui Antiochia de legalibus institutis continebant, ab ipso adferret solutionem.*

VIGESIMA est ad Galat. *i.* vbi Paulus dicit: *Post annos tres ascendi Hierosolymam videre Petrum.* In quem locum OEcumenius dicit, ascendisse Paulum in Hierusalem, videret Petrum, tanquam se maiorem. Chrysostomus homil. *87.* in Ioan. *Os,* inquit, erat Apostolorum, & principi propterea & Paulus cum præter alios & iuris ascendit. Ambrosius in cap. *i.* ad Galat. *Dignum fuit, inquit, ut cupere videre Petrum, qui a primus erat inter Apostolos, cui deleguerat saluator curam Ecclesiarum.* Hieronymus in epistola ad Augustinum *89.* supra citata: *Tanta Petrus autoritatis fuit, ut Paulus in epistola sua scripsit; deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum.*



CAPVT